













1733.

1. Klambart, Johann Volleb: De homicidio propter  
Defensionem bonorum commisso impuni.
2. Reinhardtus, Tobias Lec.: De fure poenitentia  
ejus re poena.
3. Reinhardtus, Tobias Lec.: De restitutione in integrum  
restitutionis
4. Schorckius, Hier. Frider.: De basilicis casumque  
juribus.
5. Strecku, Com. Wilhelmus; Facultatis juris Bona Decanus.  
1. 6. 3. (ad Disputationem in reg. Caroli Augusti Pictoris  
invitatus).
6. Strecku, Com. Wilhelmus, Facult. juris Bona Decanus 1. 6. 3.  
(ad Disputationem in reg. Joanni Synalii Turini invitatus).
7. Strecku, Com. Wilhelmus, Fac. juris Bona Decanus 1. 6. 3.  
(ad Disputationem in reg. Joanni Caroli Schuider (Hed. Weip.  
mentis invitatus).

8. Strecken, Comes Wilhelmus : De injusta judiciis 17a. 1
9. Strecken, Comes Wilhelmus : De insurrectione judicis  
in compendium inculpata delictum. 16
10. Strecken, Comes Wilhelmus : De fidijussore dotis  
servandae causa
11. Strecken, Comes Wilhelmus : De beneficio competen-  
tial nobilitatis non competente. 11
12. Strecken, Comes W. et. : De laudo arbitrorum ejusdem  
juris effectibus. 1
13. Strecken, Com. W. et. : De desertoribus. 17
14. Strecken, Com. W. et. : De differentiis inter processum  
ordinarium Saxonicum et illum sic dictum summa-  
rium in jure mercatorio Lipsiensis usitatum. 2



15. Stricker, Conrad Will: De jure civitatis Erfordensis  
singulari.

16. Stricker, Conrad Will: De potestate iudicis, potestas,  
in delicta statutas, mitigandi hujusmodi investigationis  
veris causis.

17. Stricker, Conrad Will: De censu per libros  
censuales ~~probatione~~. 2 Sept. 1733 & 1757.

18. Tengelt, Ernestus, Facult. juris Nere... Decem. l. b. s.

(ad Disputationem in ang. Johanni Georgio Hölzsi innotat)

19. Tengelt, Ernestus, Facult. juris Nere... Decem. l. b. s.

(ad Disputationem in ang. Johanni Henrico Kellneri innotat).

20. Tengelt, Ernestus, Facult. juris Nere Decem. l. b. s.

(ad Disputationem in ang. Johanni Gottfrido Hölzsi innotat).

21. Tengelinus, Emilianus: De spiritali rationis jactura  
creati auctoris, uno pluribus vel sibi junctis firmis

22. Reinhardt, Tobias Tac.: De unitate carnis inter masculum  
et feminam.

23. Turin, Johannes Tynelius: De subtilioribus



13234.  
9

1733, 4

4

DISSERTATIONEM HISTORICO-IVRIDICAM,

DE

# BASILICIS

EARVMQVE

# IVRIBVS,

IN ELECTORALI HAC ACADEMIA,

RECTORE MAGNIFICO,

*PRAENOBILI ET CONSULTISSIMO*

**DN. TOBIA IAC. REINHARTHO,**

ICTO, SACRI PALATII CAESAREI COMITE, IVRIDICAE FACVLTATIS ASSES-  
SORE ET COD. PROFESS. PVBL ORDIN. NEC NON CIVITATIS  
STNDICO ET CONSVLE,

CONSENTIENTE

MAGNIFICO ICTORVM ORDINE,

SVB PRAESIDIO

**DN. HIER. FRIDER. SCHORCHII,**

I. V. D. FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORIS ADIVNCTI ET PROF. PVBL.  
EXTRAORD. CIVITATIS CONSVLIS, NEC NON MINISTERII  
EVANGELICI ASSESSORIS,

*DIE XV. APRILIS, M DCC XXXIII.*

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI,

PVBLICO SVBIICIET EXAMINI

AVCTOR

**FRIDER. HENR. DE GERSTENBERG,**

*Erford.*

*ERFORDIAE, LITERIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.*





DISSERTATIONEM HISTORICO IURIDICAM  
DE  
BASILLICIS  
IURIBVS  
IN ELECTORALIA ACADEMIA  
PRAESIDIUM CONSISTISSIMO  
DN. TORALIA C. REINHARTHO  
CONSISTENTE  
MAGNifico REGIA ACADEMIA  
DN. HIER. FRIDRICH VON SCHILLER  
FRIDER. HERR. DE GERSTENBERG





CONSPECTVS.

Prooemium instituti rationem exponit.

Sectio I. de Basilicis Romanorum.

§. I. Earum definitio.

§. II. Nominis ratio.

§. III. Synonymia.

§. IV. Homonymia.

§. V. VI. Prima origo.

§. VII. Numerus.

§. VIII. Structura.

§. IX. Vfus.

§. X. Qui iudices in basilicis conuenerint?

§. XI. An iudices & mercatores eodem tempore in basilicis conuenerint?

§. XII. Iura basilicarum breuibus exhibentur.

Sectio II. de Basilicis Ecclesiae.

§. I. Connexionis ratio ostenditur.

§. II. Origo basilicarum Ecclesiae, & quidem ratio coetuum Christianorum Seculo I. & II.

§. III. Seculo III.

§. IV. Seculo IV. Vbi origo & causae exstructarum basilicarum explicantur.

§. V. Aedes sacrae non modo ad instar basilicarum exstructae, sed & basilicae in ecclesias versae.

§. VI. Exinde ratio denominationis deriuatur.

a 2

§. VII.



- §. VII. Differentia basilicas inter, & reliquas aedes sacras: ut & earum diuersae species commemorantur.
- §. VIII. Temporum nomen Seculo IV. audiri coepit.
- §. IX. Basilicarum Ecclesiae structura, basilicis Romanorum perquam similis.
- §. X. Cur basilicae Ecclesiae ad Orientem directae?
- §. XI. Basilicarum forma externa, ubi & de figura crucis.
- §. XII. Porticus ante fores basilicae, & iura seu ritus, quae circa eam occurrunt.
- §. XIII. Narthex.
- §. XIV. Absidae.
- §. XV. Navis basilicae, & in ea Ambo.
- §. XVI. Loca fidelium & subsellia.
- §. XVII. Baptisterium.
- §. XVIII. Chorus seu Sanguarium.
- §. XIX. Exedrae.
- §. XX. Epilogus tractationis.





Q. D. B. V.

## PROE M I V M.

**I**nter caetera magnifica veteris Urbis Romae publica opera, ea imprimis aedificia, quae iuri dicundo, mercatorumque negotiis tractandis erant destinata, quaeque *Basilicarum* nomine veniebant, vltimum non occupasse locum, antiquitatum cultoribus ignoratum esse non potest. Sequentibus vero temporibus hoc nomen Christianorum Oratoriis, seu aedificiis, cultui diuino peragendo destinatis, fuisse inditum, inter omnes constat. Quae autem fuerit huius rei connexio, quae origo, quae iura horum aedificiorum, vix quisquam ex instituto scrutatus est. Hinc speciminis loco nonnulla de his delibere constitui. Vbi primum (1) de Basilicis veterum Romanorum, earumque origine, structura & iuribus quaedam ex antiquitatum fontibus, legibusque Ro-

A

manis



manis sum adducturus: Deinde (2) de Basilicis Christianorum, earumque denominationis ratione, origine & iuribus imprimis illis, quae ipsis quae Basilicis tribuuntur, hoc est, quae ad structuram earum, quae cum Basilicarum Romanarum veterum structura per quam convenit, aliquem habent respectum, breuibus pro instituti ratione acturus sum.

(1) Sess. I.

(2) Sess. II.

SECTIO I.

*De Basilicis Romanorum.*

§. I.

**B**asilicae apud veteres Romanos erant amplissima splendidissimaque aedificia publica, in quibus non solum iudices convenire, causasque controuersas cognoscere & sententia finire; sed & senatores deliberare, imo mercatores, numulariique negotia sua tractare solebant.

§. II.

Nominis rationem quod attinet: vocabulum *Basilici* Graeciae natales debere, idemque ac regium esse, tractatum est. Quae autem vocis *Basilicus*, Rex, sit origo, inter eruditos disceptatur. VOSSIO (1) illorum opinio prae caeteris adridet, qui *Basilicus* vel a *βασίς* & *λαός*, quasi populi fundamento, vel cum BECMANNO a *בנין* i. e. Dominus, vel a *משל* i. e. praefuit, dominatus est, deducunt. Vnde autem hoc nomen aedificiis iam descriptis inditum fuerit, itidem non vna est eruditorum sententia. Do-

Giffi.



Cliffimus PERAVLT (2) putat, haec aedificia ideo basilicarum nomen accepisse, quoniam ab initio ipsi Reges in illis ius dicere fuerint soliti. Sed ut haec denominationis ratio maxime naturalis, ipsique nomini conueniens videatur; veritati tamen historicae minus videtur consentanea, prout paulo inferius (3) pluribus sumus ostensuri. VOSSIO (4) & BOISARDO (5) illorum probatur opinio, qui ab ipsis iudicibus, in his aedificiis conuenire solitis, adpellationem basilicarum natam fuisse existimant, quoniam τὸ βασιλικὸν adpellatione non solum rex, verum etiam iudex quicumque veniat, teste HESIODO, qui δαγὰς φάγας adpellet βασιδῆνας, h. e. doniuoros iudices, interprete BVDAEO. Tandem eorum non praetermittenda sententia, qui omnia grandia, excellentiaque & magnifica basilica adpellari autumant, etiam apud Latinos, teste PLAVTO, qui basilicum iactum, statum, victum, imo basilica facinora dicit, & PLINIO, apud quem basilica vitis, basilica RUK reperitur. Quod etymon inprimis ROTERODAMI calculum meruit (6). Sequitur etiam illud GOLDMANVS (7), nec plane improbat ab ipso VOSSIO. Adeoque quae inter has duas posteriores sententias alteri sit praefenda, liberum esto lectori iudicium.

(1) in Etymol. Lingu. Lat. voce Basilica.

(2) in Vitruvii versione & explanatione L. V. c. 1. in not. ad verba: les Basiliques.

(3) S. V.

(4) in Etymol. Lingu. Lat. l. all.

(5) in Topographia Urbis Romae iuxta MARLIANVM c. 142, p. 173.

(6) Adagiornm Chiliad. V. Centur. I.

(7) Architecurae lib. IV.



§. III.

Caeterum basilicae *Regiarum* quoque nomine, quasi latino vocabulo graecum illud interpretante, apud Scriptores veniunt. Ita STATIVS (1):

- - - - *hinc Iulia templa tuerentur,*

*Illinc belligeri sublimis regia Pauli.*

Vbi tamen notes velim, regias eiusmodi non confundendas esse cum istis aedificiis, quae sedi ac habitationi regis vel imperatoris destinata, ac regiarum nomine frequentius insignantur. Ita LIVIVS (2) saepius regiae mentionem facit, vbi semper regum domicilia intelligit, vti contextus ipse loquitur. Et quando OVIDIVS (3) inquit:

*Hic fuit antiqui regia parua Numae.*

itidem Numae regis sedem intelligi certum est.

(1) *l. l. Syll. 1. §. 29.*

(2) *l. 1.*

(3) *Libr. III. Trist. Eleg. 1. §. 30.*

§. IV.

In Basilicarum Homonymia diu desudare operae pretium non videtur. Hoc saltem notandum, obseruantibus quibusdam conclauiam ista amplissima in priuatorum aedibus, quae alias a VITRUVIO (1) *Oeci* (hodie *Sallons*) nuncupantur, basilicas quoque adpellari. Ita BARONIVS (2): *Erant & priuatorum basilicae, ad in ambulandum constructae, & magno sumtu ornatae.* Huc forte pertinent verba AELII CAPITOLINI (3) iniquentis: *In qua, scilicet Villa Gordiana, basilicae centenariae tres, h. e. centum columnis cinctae ac suffultae.* Deinde DV FRESNE (4) obseruat, basilicas medio aeuo adpellatas quoque fuisse aedículas quasdam, quas Franci veteres magnatum tumulis im-

im-



imposuerint, inferioris conditionis hominum sepulcris aut tumbam, aut porticulam imposuisse, hinc lex Salica (5): *Qui tumbam aut porticulam super hominem mortuum exspoliauerit, solidis 15. Si quis vero basilicam super hominem mortuum exspoliauerit, 30. solidis culpabilis iudicatur. De Basilicis Ecclesiae suo loco (6) dicitur copiosius.*

(1) L. VI. c. 5. & 6.

(2) Not. ad Mariyr. August. vid. BLONDELLVS de Episc. & Presbyr. Scē. III. p. 248.

(3) in Vita Gordiani II.

(4) in Glossario ad scriptores mediae & infimae latinitatis T. I. p. 506. voce Basilica.

(5) Tit. 58. s. 3. 4. 5.

(6) Scē. II.

§. V.

De origine basilicarum apud Romanos vix est, vt aliquid certi possit statui, cum coniecturis magis, quam testimoniis scriptorum liquidis res ea niti videatur. Equidem PERAVLT (1) originem earum ex ipsis antiquissimis regum temporibus repetere videtur, dum inquit: *Les grandes & spacieuses Salles, que l'on appelle Basiliques, ont été ainsi premierement appellées, parce qu'elles étoient faites pour assembler le peuple, lorsque les Rois rendoient eux mêmes la justice. En suite, quand elles furent abandonnées aux juges, les marchands s'y établirent aussi.* Sed vnde haec hauserit, nescio, vtut DAVILLER (2) quoque eum secutus sit. Opinioni quidem huic primo intuitu aperte contradicere videtur LIVIUS (3), quando de incendio, quod sub consultatu Valerii Levinii & Claudii Marcelli, A. V. C. 544. circa forum Romanum ortum, differens inquit: *Neque*



*enim tum basilicae erant.* Sed in notis, quae in editione LIVII GRONOVIANA huic loco subiiciuntur, recte, ut opinor, fuit observatum, LIVIUM saltim innuere, suo tempore in ordine post tabernas, quas ab igne tum comprehensas fuisse adseruit, fuisse basilicas, ubi olim, tempore scil. illius incendii, priuata tantum aedificia fuissent. Haec igitur verba LIVII PERAVLTO non adeo repugnant, uti quidem primo videtur intuitu: nisi dicere velis, basilicas, ut ex VITRUVIO (4) constat, semper ferè ad fora fuisse exstructas, adeoque dum Livius adserat, eo tempore in foro Romano nondum fuisse basilicas, idem esse ac dixisset, nullas plane tunc temporis Romae extitisse. Sed magis obstat scriptorum de basilicis sub Regibus exstructis silentium. Antiquissimis sane temporibus caesarum controuersarum cognitionem decisionemque non in splendidis eiusmodi aedificiis, sed in foro factam esse, notum est. Cuius rei gratia, Romulum iam tum tribunal in foro constituisse, autor est DIONYS. HALICARNASSENSIS (5). Accedit simplex illorum temporum vitae ratio, a tanto aedificiorum luxu aliena, cuius rei non vltima ratio, quod commercia tum adhuc ferme Romae exularent.

(1) Dans son *Vitruve* L. V. c. 1.

(2) Dans le *Dictionnaire d'Architecture*. Voc. *Basilique*.

(3) *Libr. XXVI, c. 27.*

(4) *Libr. V. c. 1.*

(5) *Libr. II, c. 30.*

§. VI.

VOSSIUS econtrario (1) adserere non dubitat, primam basilicam Romae exstruxisse M. PORCIUM CATONEM,  
Por-



Porciamque eam adpellasse. Haec quidem sententia propius ad veritatem accedere videtur; nisi vnicum saltem mihi remaneret dubium. LIVIVS scil. (2) sub consulatu Claudii Pulcri & Porcii Licinii, qui in annum V. C. 570. incidit, huius rei sequenti ratione meminit: *Cato atria duo, Maenium & Titium in Latomiis, & quatuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi fecit, quae Porcia adpellata est.* Iam PLAVTVS, qui eodem anno diem obiisse suum fertur, saepius in Comoediis suis basilicarum iniicit mentionem, dum e. g. in Curculione (3) inquit: *Ditis damnosos maritos sub basilica quaerito.* Et in Capteiuicis (4): *Quorum odos (scil. piscium putridorum) subbasilicanos omnes abigit in forum.* Vbi, optime monentibus PAREO & TAVBMANNO, per subbasilicanos intelligit otiosos homines sub basilicis inambulantes. Et satis inepte MICH. de MAROLLES (5) subbasilicanos vertit *pouruoyeurs de bonnes maisons.* Quidquid sit, PLAVTVS certe basilicarum mentionem facere non potuisset, nisi iam suo aevo eiusmodi aedificia extitissent. Videtur tamen dubium hoc submoueri posse, si terminum mortis ipsius PLAVTI paulo progare velis, quod non omnino absolum videtur. Sane basilicarum primam, siue Porcia fuerit siue alia, temporibus Plauti fuisse excitatam non improbable, cum ante ipsum apud scriptores basilicarum vix reperiatur mentio. Quod &, si coniecturis locus, ex eo confirmari posse videtur, quod tunc temporis, debellata scilicet maximam partem, & ad incitas ferme reducta Carthagine, quae olim totius fere Mediterranei commercia ad se traxerat, commercia Romanorum haud exigua capere coepissent

incre-



incrementa: & ita mercatoribus certum quoque, negotiisque eorum peragendis aptum locum adsignare e re videretur. VOSSIO interim subscribere quoque videtur *Autor Romae veteris* in *Atlante BLAEVIANO* (6), dum antiquitus tantum tres Romae basilicas, scil. Porciam, Sempronianam & Oppimiam, & has inter Porciam antiquissimam fuisse adserit.

(1) in *Etymol. lingu. lat. voce Basilica.*

(2) *Libr. XXXIX.*

(3) *At. IV. Scen. 1.*

(4) *At. IV. Scen. 2. v. 35.*

(5) *Dans la Paraphrase de Plaute.*

(6) *P. 33.*

§. VII.

Ortis semel basilicis, in haud exiguum istae sensim excreuere numerum. P. VICTOR (1) decem & novem basilicas Romae fuisse memorat. ANDREAS FVLVIVS (2) decem basilicas primarias Romae vrbi tribuit, scilicet Iuliam (3), Vlpianam (4), Vescellariam, Porciam, Constantinianam (5), basilicas Pauli (6), Neptuni (7), Macidii, Marciani & Sicinini, quae fere omnes a suis structoribus nomen naetae sint. Praeter has mentionem quoque facit basilicae Aemiliae, quae tamen eadem ac Paulina, & basilicae Fulviae, nec minus Alexandrinae, quam Alexander Seuerus struere quidem coeperit, perficere autem morte praeventus non potuerit, teste LAMPRIDIO. Sic basilicae quoque argentariorum in octava vrbs regione mentio est apud P. VICTOREM, & LIVIVS (8) basilicae Sempronianae, a Tib. Sempronio Censore A. V. C. 587. exstructae, meminit. Praeter has basilicas *Autor Romae veteris*



*vetoris in Atlante* BLAEVIANO (9) adducit quoque basilicam Oppimiam, ab Oppimio aedificatam, post caedem Caii Grachi, & basilicam Marcelli, iuxta eiusdem theatrum exstructam, quae & ab aliis curia seu porticus Octaviae vocetur. Nec praetermittenda basilica Lateranensis, a Plautio Laterano, Consule Romano sub Nerone, & deinde a Nerone interfecto, exstructa, & postea Christianorum sacris relicta, de quo Laterano GLANDORPIVM (10) adire potes. Caeterum, praeter urbem Romam, alia quoque oppida basilicis non plane fuisse destituta, colligere est ex iis, quae refert SVETONIVS (II) narrans, Augusti cadaver, cum Nola Romam versus, & quidem propter anni tempus noctu, transferretur, interdum in basilica cuiusque oppidi, vel in aedium sacrarum maxima repositum fuisse.

(1) de regionibus Urb. Romae.

(2) nelle Antichità di Roma L. V. c. 1.

(3) Basilicam Iuliam in campo Esquilino, ubi antea Licinii palatium fuerat, ab Augusto in honorem nepotum suorum exstructam, ac alias basilicam Caii & Lucii appellatam fuisse, deque ea adhuc hodie formicem in Vineto Comitibus Philiberti Vizzani superesse, memoratur apud BLAEV l. all. Quem formicem hodie vulgus corrupte vocat: le Terme di Galuccio, quasi Caii & Lucii, omnia quippe grandia aedificia antiqua thermarum nomine insignire solitum, teste BIONDO nella Roma ristaurata L. II. s. 24.

(4) Vlpian basilicam in Viminali prope suas thermas a Traiano, ad ripam Tiberis, exstructam, ab Hadriano vero refectam fuisse, refertur apud BLAEV l. all.

(5) Constantiniana prope Viam nouam ponitur a VICTORE, ad templum pacis, in regione tertia. Vid. & Baron. ad annum 324.

(6) Basilicam Pauli inter magnifica Urbis opera refert PLINIVS hist. nat. L. XXXVI. c. 15. Eamque Caii Marcelli consulatu, anno V. C. 703, ab Amilio Paulo exstructam, postea autem a Marco Lepido refectam, ex DIONE Libr. 54. & ex antiquo quodam numo probat PATIN in famil. Rom. ex antiquo, num. p. 9. & 10.

B

(7) Ba-



- (7) Basilicam Neptuni refecit Hadrianus, teste SPARTIANO in suis *Vitis*.  
 (8) *Libr. XLIV.*  
 (9) *P. 33.*  
 (10) in *Onomastico Histor. Rom. in famil. Lateranorum.*  
 (11) in *Augusto c. 100.*

§. VIII.

Exstruebantur basilicae communiter prope fora (1); imo basilicam Pauli in medio foro positam fuisse testis est CICERO (2). Vnde & in legibus (3) saepius foris iunguntur. Et quidem in calidissimis fori partibus ponebantur, ut loquitur VITRUVIVS; ita ut ab oriente ad occidentem eas se extendisse quoad longitudinem exinde adpareat. Forma earum erat quadrata, ita tamen, ut longitudo latitudinem longe superaret. Ante fores porticus communiter erat, columnis suffulta, non tamen Caesidica adpellata, prout quidem vult SICCAMA (4). Interiorem structuram quod attinet: spatium medium, seu, ut ita loquar, naus basilicae omnem basilicae altitudinem emetiebatur. Ad latus utrumque autem duae porticus erant, vna supra alteram, quae duplici columnarum sibi inuicem superimpositarum serie fulciebantur simul, & a naui, seu media basilicae parte, separabantur. Duo basilicarum extrema porticus iterum, illis tamen, quae ad latera erant, ampliores, & triplici vel quadruplici columnarum ordine distinctae occupabant: quibus columnis ita dicta Chalcidica, seu conclauiam iuri dicundo destinata, & ubi tribunal reperiatur, in quo ponebatur sella curulis, imposita erant. Reliqua disci possunt ex VITRUVIO (5), eiusque commentatore PERAVLITO, qui non solum textum Vitruuijanum explicauit egregie,



gie, sed & basilicarum ideas nitidissimis expressit figuris.

(1) VITRUV. L. V. c. 1.

(2) Epist. ad Atticum L. IV. Ep. 17.

(3) l. 83. §. 5. D. de Verb. obl. l. 137. D. cod. §. 5. l. de Empt. vend.

(4) de Iudicio centumviralis Libr. II. c. 2. p. 68.

(5) Libr. V. c. 1.

§. IX.

Vsum basilicarum quod attinet: Senatores nonnunquam deliberationes suas in ipsis instituisse, supra (1) adstruximus, idque non solum ROSINVS (2), & *Autor Romae veteris* apud BLAEV (3) memorant, sed confirmari quoque potest ex BARONIO (4), sequentia ex NICEPHORO adducente: *Porro, Senatu in basilicam, quae dicitur Vlpia, contocato, sincera mente sauxit &c.* Iudices autem in basilicis ius dixisse, & mercatores negotia sua tractasse, non solum ex ipsis legibus (5), sed & ex VITRUVIO, aliisque scriptoribus, citra vltiorem probationem constare potest.

(1) §. I.

(2) *Antiquit. Rom.* L. IX. c. VII.

(3) p. 33.

(4) *Annal. Ecl.* ad annum 324. §. 75.

(5) L. 32. §. 4. D. de auro argento &c. legatis.

§. X.

Quaeri tamen possit, an omnis generis iudices in basilicis conuenerint: & an omnis generis causae in illis decisaerint? Prius adferere videtur ROSINVS (1), quod tamen non adeo expeditum videtur; saltim ex scriptoribus Romanis haud obscure colligere est, in quibusdam basilicis iudices tantum certi generis conuenisse. Ita PLVTARCHVS (2): *Erat basilica quaedam Porcia, quam magnus Cato in Censura condiderat; eius basilicae Tribuni plebis,*



quoniam in illa ius dicere consueverant, columnam, quae sellas eorum impedire videbatur, decreuerant tollere. Centumuiros autem in basilicis conuenisse, & de causis leuioribus atque minoribus ius dixisse, ex variis PLINII locis (3) liquido patet, qui & (4) rationem, qua Centumuiroi in basilicis federint, populus eos audiuerit spectaueritque, aduocati vero causas egerint, explicat egregie. Inprimis autem basilica Iulia Centumuiralibus iudiciis inferuiebat, in quam Centumuiroi, in quatuor partes, seu quatuor tribunalia diuisi, cogebantur, prout discimus ex QVINTILIANO (5), de Trachallo inquiente: *Certe cum basilica Iulia diceret primo tribunali, quatuor autem iudicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectum.* De iudiciis Centumuiralibus pleno, quod aiunt, horreo egit SIBRANDVS TETARDVS SICCAMA (6). Interim iudicia quoque nonnunquam ex foro in basilicam fuisse translata, verba SENECAE (7) arguere videntur, de Porcio Latrone referentis, eum obtinuisse, ut iudicium e foro in basilicam transferretur. IVSTINIANVS quoque (8) iudicibus suis pedaneis regiam basilicam, velut locum iudiciorum, assignauit. Caeterum, ortis dudum basilicis, omni tempore in foro adhuc ius fuisse redditum, ambigi non potest. Sicut & certum, alia quoque loca iuri dicendo, & iudiciis exercendis, fuisse adhibita. Ita LIVIVS (9) circa annum 540. memorat, Praetores tribunalia ad piscinam publicam posuisse, ibique illo anno ius dictum esse. Triumuiroi capitales ad columnam Moeniam ius dicebant, de infimae plebis & fervorum flagitiis, obseruante SICCAMA (10). Imperatores



tores mox in palatiis suis, prout de Augusto refert XI-PHILINVS (11), mox in aliis locis ius dixere, vt idem XI-PHILINVS (12) de Hadriano refert, inquit: *dicebaturque ius cum primis ciuitatis in Palatio, foro & Pantheo, saepe etiam in aliis locis pro tribunali.*

(1) *Antiquit. Rom. L. IX. c. 7.*

(2) *in Catone.*

(3) *Libr. II. Ep. 14. Libr. V. Ep. 21.*

(4) *Libr. VI. Ep. 33.*

(5) *Libr. XII. c. V.*

(6) *De iudicio Centumuirali Libr. II.*

(7) *L. IV. controu. in praefat.*

(8) *Nou. 82. c. 3.*

(9) *Libr. XXIII.*

(10) *De Centumuirali Iudicio Libr. II. c. 2. p. 65.*

(11) *Epit. Dionis p. 215. (Edit. Sylburgii.)*

(12) *p. 254.*

§. XI.

Porro quaestio moueri posset, vtrum vno eodemque tempore iudicia in basilica peracta, & mercatorum negotia tractata fuerint; an diuersis temporis interuallis? ROSINVS (1) iterum a vero paulum alienior est, dum adstruit, mercatores tum demum, ad negotia sua peragenda, conuenisse, quando iudicia vacauerint. Magis enim est, vt dicamus, vno eodemque tempore haec negotia, alias diuerfissima, peragi potuisse, cum mercatores in inferiori basilicae parte, & porticibus ipsi adiacentibus, rationes suas haberent: iudicia autem in Chalcidicis, vel, vt alii legere malunt, Caufidicis vel Chalcioecis, quae, vt supra (2) monitum, ad duo basilicae extrema, super porticibus inferioribus & amplioribus erant, haberentur. Porticus autem superiores, latera basilicae occupantes, &



chalcidica ista coniungentes, aduocatorum obambulationibus inferuiebant; ita ut superius res habentes, a negotiantibus in inferiore basilicae parte, ne quidem conspici potuerint, prout ex VITRUVIO (3) colligi potest. Hinc vix cum VITRUVIO conciliari poterunt, quae ex CIAMPINO refert TENTZELIUS (4), scil. Porticus inferiores iudicibus, aduocatis, ipsisque partibus litigantibus inserviisse, porticus superiores vero spectatoribus obambulantibus patuisse, & quidem ex vno latere maribus, ex altero vero foeminis. Caeterum quasdam basilicas a solis mercatoribus fuisse frequentatas, tum ex earum nominibus, velut basilicae argentariorum, tum ex aliis circumstantiis colligi posse existimo. Denique obseruandum, nonnullos basilicas Romanorum cum hodiernis, ut vocant, *Börsen* comparare solere, quae tamen, ut ut quoad usum cum basilicis Romanorum quodammodo conueniant, quoad structuram ut plurimum propius ad fora antiqua, quae ab ipso quoque VITRUVIO (5) describuntur, accedere videntur. Sed haec in transitu.

(1) *Antiqu. Rom. L. IX. c. 7.*

(2) §. VIII.

(3) *L. V. c. I.*

(4) *Colloqu. mensstr. anni 1691. p. 17. 18.*

(5) *L. VI. c. 1.*

§. XII.

De iuribus denique Basilicarum Romanarum nunc quoque pauca quaedam subiicienda erunt. In genere notandum, eas aedificiis operibusque publicis fuisse adnumeratas, iisdemque adeo iuribus fuisse praeditas, quae caete-



caeteris rebus publicis in iure nostro tribuuntur. Ita basilicae, ut reliquae res publicae, a commercio priuatorum omnino erant exemptae (1). Adeoque emptio venditio, circa basilicam celebrata, erat nulla, nec vlla ad interesse actio emptori competeat, cum sciens non decipiatur ab alio, sed a se ipso (2). Deinde, uti reliqua aedificia publica, ab initio Censurum curae eas fuisse obnoxias, dubium vix est, cum & omnium antiquissimae basilicae, Porcia scilicet & Semproniana, ab ipsis Censuribus huius nominis fuerint exstructae, docente id nos LIVIO (3), quorum etiam nomina deinde retinuerunt. Postea & plures basilicas ab ipsis Imperatoribus fuisse exstructas, nomina Iuliae, Ulpiae, Constantinianae, aliarumque indicant. Peculiaris denique Imperatorum THEODOSII & VALENTINIANI in iure nostro occurrit sanctio (4), de basilica inaurata, qua liberam eam in perpetuum manere iubent; sed alicuius imagine, aut picturis obscurari, aut in aliqua eius parte tabulato opere stationes, aut ergasteria constitui, aut equos in eam intromitti, aut nuptias celebrari, dicti Imperatores prohibent.

(1) §. 5. I. de Empt. vend. l. 83. §. 5. D. de V. O. l. 137. D. eod.

(2) l. 26. D. de R. V. §. 5. I. de Empt. vend. ibique Boshmerus.

(3) Libr. XXXIX. & Libr. XLIV.

(4) L. 21. C. de oper. publ.

## SECTIO II.

### *De Basilicis Ecclesiae.*

**D**euenimus nunc ad alteram tractationis nostrae partem, vbi scilicet de Basilicis Christianorum, seu locis, Christianorum coetibus congregandis, sacris-



facrisque eorum peragendis, destinatis acturi sumus. Vbi statim dubium cuidam exoriri posset, qui factum sit, vt basilicarum nomen, quod olim eiusmodi aedificiis, in quibus non nisi iudiciorum negotiantiumque strepitus exaudiebantur, competebar, his aedibus, quae fidelium votis, precibus, cantibusque personabant, fuerit impossibile. Rem, vt ordine magis procedamus, paulo altius & ab ovo, vt aiunt, debita tamen breuitate, deducemus.

## §. II.

Ab ipsis iam Apostolis primas ecclesias constructas esse Romae, ex veteribus martyrologiis probare voluit DV FRESNE (1), qui & Ecclesiam Diospolitana[m] seu Liddensem, 18. milliaribus ab Hierosolymis distantem, a Petro & Iohanne Apostolis, in honorem Deiparae, ea adhuc viuente, fuisse exstructam, eiusdemque imaginem, a S. Luca depictam, in ea repositam ex Ioh. Damasceni, seu orientalium Synodica ad Theophilum Imperatorem refert. Sed cuncta haec testimonia nimis recentia, tantaque non sunt, quae fidem historicam parere possint. Christiani potius, primis religionis fundatae temporibus, & Apostolorum aeuo, templis & oratoriis peculiariibus plane destituebantur; sed ex Iudaicis quidem conlecti iam in templo Hierosolymitano, iam in aedibus priuatis, & quidem maxime in coenaculis, coetibus quippe congregandis magis adcommo-dat[is], conueniebant, exercitiaque pietatis peragebant: fideles autem ex gentilibus in priuatis tantum aedibus conuenire poterant, cum ad templum & synagogas Iudaicas non admitterentur; donec fideles quoque ex Iudaicis a templo & synagogis absti-



abstinere, & ita priuatas quoque saltim aedes conuentibus sacris adhibere cogentur. Haec ferme fuit etiam rei facies, decurrente seculo primo & secundo. Christiani scilicet in aedibus priuatis, & ab vñibus priuatis plane non separatis, imo, ingruentibus persecutionibus, facpius etiam in antris & cryptis subterraneis conuentus clancularios & antelucanos habebant. Locis autem ab vñibus profanis separatis, & ad vñus sacros peculiariter destinatis, multo minus solempni ritu consecratis, plane instructi non erant, prout inprimis contra IOH. MEDE, Anglum, Ill. Dn. BOEHMERVS euicit egregie (2). Equidem ANASTASIVS BIBLIOTHECAR. (3) (quem Dn. BOEHMERVS non allegauit) de Papa Pio, cuius vitam ipse ad annum 158. recenset, *Hic, inquit, ex rogatu beatae Praxedis, dedicauit ecclesiam thermas Nouati, in vico Patrici, in honorem sororis suae, Stae Potentianae, vbi & multa dona obtulit, vbi saepius sacrificium Domino offerens ministrabat, imo & fontem baptismi constitui fecit, manu sua benedixit & consecrauit.* Secutus ANASTASIVM, iisdem fere verbis, PLATINA (4). Sed testimonium ANASTASII, seculi noni scriptoris, de re adeo antiqua, omni exceptione maius esse non potest: praesertim cum sacrificium, fons baptismi & ipsa consecratio, indubia falsitatis huius narrationis praebent indicia.

(1) in *Glossar. med. & inf. Lat. Voce Ecclesia.*

(2) *Diff. II. ad Plin. Sec. & Tertull. & in Diff. respondente Dno REINHARDO habita, de potest. civ. in templa.*

(3) in *Vitis Pontif. p. 5. edit. Reg. Paris.*

(4) de *Vitis Pontif. in Vita S. Pii.*



Seculo tertio Christianos loca quandoque certa & stabilia sacris suis destinasse, ambigi vix potest. Imo nunquam, intermittente scilicet, per aliquem temporis tractum, persecutionum saeuitia, aedificia quaedam peculiaria ad sacra peragenda extruxisse, ex scriptoribus Ecclesiasticis haud obscure colligitur. Ita EVSEBIUS (1) de his induciarum temporibus, in primis paulo ante Diocletiani imperium, inquit: *Aedificiis veteribus nequaquam amplius contenti, amplas late per vniuersas vrbes ecclesias excitabant.* Et ANASTAS. BIBL. (2) de Calixto, quem anno 221. sedi praefuisse memorat, refert: *Hic fecit basilicam trans Tiberim.* Hanc ecclesiam exstructam fuisse in loco isto publico, quem popinariis eripuerant Christiani, tempore Seueri, teste LAMPRIDIO, coniectura est BARONII (3). De S. Felice (anno 272.) inquit ANASTASIVS (4): *Hic fecit basilicam in via Aurelia.* In primis autem, tempore Gordiani Iunioris, Fabianus Papa multa oratoria in coemeteriis extruxit, si fides habenda PLATINAE (5), DAMASO (6), BARONIO (7), GODEAV (8), aliis. De omnium harum narrationum fide iam non erimus solliciti, sufficit, oratoria tunc exstructa rationem templorum plane non habuisse. Neque enim solemnium ritu Deo erant consecrata, neque Deum in illis habitare, & peculiari ratione hominibus se manifestare, credebant, quum Deum nullo loco circumferri & contineri posse, & corda ipsorum vera Dei templa esse, constanter adhuc statuerent: neque demum sacrificiis solemnibus Deum in ipsis expiabant (9). Hinc & a templi adpellatione, eo  
tem-



tempore, plane sibi temperabant; sed Oratoria seu *πρωτό-  
εὐκρίσια* aedificia ista adpellauere, quandoque etiam Do-  
minica, seu *τὰ κυριακά*, vt ex CYPRIANO, & ex constitutio-  
ne Valerii Maximini apud EVSEBIUM (10), luculenter pa-  
tet. Caeterum facile est ad intelligendum, nihil plane  
splendidi, nihil magnifici habuisse haec aedificia; audia-  
mus PLATINAM (11), de Papa S. Calisto inquentem:  
*Hunc aedificasse basilicam in transtiberina regione, in honorem  
beatae virginis, Damasus scribit. Non tamen crediderim banc  
illam esse, quam hodie tam celebrem & amplam cernimus (for-  
te Santa Maria in Transtevere), cum ea tempestate, ob cre-  
bras persecutiones, occulta essent omnia, & sacella potius, atque  
eadem abdita, & plerumque subterranea, quam apertis in locis  
ac publicis fierent.*

(1) Hist. Eccl. L. VIII, c. 1.

(2) de Vit. Pontif. p. 6. edit. reg. Paris.

(3) Annal. Eccl. ad ann. 224. §. V.

(4) L. all. p. 10.

(5) de Vit. Pontif. in Vita Fabiani.

(6) in Vita Fabiani.

(7) annal. Eccl. ad annum 245. s. II. qui & l. all. s. III. memorat, Gre-  
gorium Thaumaturgum, Episcopum Neocaesarensium in Ponto, eccle-  
siam quoque exstruxisse.

(8) Histoire de l'Eglise T. I. p. 270.

(9) vid. ill. Dn. Boehmeri Diss. II. ad Plin. Sec. §. XX.

(10) Hist. Eccl. L. IX. c. 10.

(11) de Vit. Pontif. in Vita S. Calisti.

§. IV.

Sequentibus temporibus, imprimis pace per Con-  
stantinum M. Ecclesiae plenarie restituta, ineunte Secu-



lo IVto, cum ad oratoria maiori pompa exstruenda animum adplicarent Christiani, de structurae forma erant solliciti. Templorum gentiliū structuram, alias satis splendidam, imitari volebant, non solum ob ingentem horrorem, quo omnes gentiliū res ritusque prosequerantur; sed & quoniam ethnicorum templa ad sacra Christianorum minus videbantur commoda. Templum enim Romanorum ita exstructa erant, ut columnae exterius positae conclave aliquod amplum, muris vndique cinctum, & ab ipsis *Cella* adpellatum, circumdarent: Quae cella locus maxime obscurus erat, cum lucem non nisi per ipsam portam admitteret, obseruante PERAVLTO (1). Cui mori forte occasionem praebuit, quod deos in lucis subobscuris habitare, prisca crederet gentiliū superstitio; vnde OVIDIVS (2):

*Lucus Auentino suberat niger ilicis umbra,*

*Quo posses viso dicere: numen inest.*

Verum cultus Christianorum ratio loca eiusmodi obscura respuebat. Hinc non nisi tempore summae necessitatis ad loca obscura & subterranea se conferebant: caeterum locis apertis & luci peruiis, velut coenaculis, & conclauiibus, in superiori aedium parte existentibus, utebantur. Ita TERTVLLIANVS (3): *Nestrae columbae etiam domus simplex, in editis semper, & apertis, & ad lucem.* Patet id ipsum quoque ex LVCIANO (4), quem locum integrum Ill. Dn. BOEHMERVS recensuit & explicauit egregie (5). Requirebat igitur cultus Christianorum aedificia ampla, quo commodum tot fidelibus receptaculum  
 el  
 pra-



praebere possent; & luce sufficienti instructa, vt sacra eo facilius peragi possent, omnisque *arctia* euitaretur. Huic fini basilicarum Romanarum structura maxime videbatur adcommodata.

(1) Vitruue L. V. c. 1.

(2) L. III. Fastor. vers. 295.

(3) aduersus Valentinianos c. III. p. 448. edit. Froben.

(4) in Dialogo Philopatris.

(5) Diss. II. ad Plin. Sec. 5, XIII. sequ.

§. V.

Hinc cum Constantinus M. relictis gentilium castris, & transitu ad Christianorum partes facto, de magnificis sacris aedibus extruendis cogitaret, quod in primis anno imperii ipsius decimo quarto factum esse, autor est ANASTAS. BIBL. (1), quem sequitur CEDRENVS (2) & SIGONIVS (3). BARONIVS autem (4) praecipuarum basilicarum, a Constantino fundatarum, extruccionem refert ad annum 324. Tunc inquam aedes hae sacrae non solum in basilicarum veterum formam extruebantur, quod in sequentibus (5) pluribus deducemus; sed & nonnullae ex ipsis his basilicis Christianis fuerunt relictae, sacrisque eorum adplicatae. De basilica Lateranensi hoc extra dubium. Ita enim HIERONYMVVS (6): *Fabiola, post mortem secundi mariti, in semet ipsam reuerfa, saccum induit, vt errorem publice fateretur, & vrbe spectante Romana, ante diem Paschae, in basilica quondam Laterani, qui Caesariano truncatus est gladio, petit in ordine poenitentiam &c.* Sic & ANASTAS. BIBL. (7) de S. Coelestino (anno 423.) inquit: *hic dedicauit basilicam Iuliam.* Hancque basilicam nomen



suum postea quoque retinuisse, patet ex actis Synodi, anno 502. in hac basilica Romae habitae, apud BARONIVM (8). De basilica Siciniana inquit AMMIANVS MARCELLINVS: *Constat in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum.* Et CUPERVS (9) observat, hanc basilicam a Liberio Papa in ecclesiam fuisse mutatam, & inde basilicam Liberii vocatam esse. Quamvis dissimulare non possim, ANASTAS. BIBL. (10) mentionem quidem facere huius basilicae Liberii, his verbis: *Hic fecit basilicam nomine suo iuxta macellum Liviæ.* Sed quod haec basilica Sicinini antea fuerit, eum non addere. Referi huc quoque possunt verba AVSONII (11) inquentis: *Nihilus inquam (scil. locus) Imperator Auguste, quin admirandam tuæ venerationis speciem incutiat: non palatium, quod, cum terribile acceperis, amabile praestitisti, non forum, & basilica, olim negotiis plena, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis.* De aliis quidem liquido mihi non constat: factas tamen eiusmodi basilicarum metamorphoses plures adhuc fuisse, partim nota Imperatorum munificentia credere iubet, praesertim cum rarior tunc horum aedificiorum usus ad commercia, tum temporis Romae ferme collapsa, esset: partim, quod ipsi clerici & monachi propria auctoritate in eiusmodi loca publica inuolarint, haud obscure colligi potest ex constitutione Leonis Imp. (12), qua Clericorum, crucem in loca publica inferentium, ausus reprimuntur.

(1) *Hist. Eccl. p. 25. edit. Reg.*

(2) *p. 227. edit. Reg.*

(3) *Hist. Occidental. Imp. ad ann. 318. c. 319.*



(4) *Annal. Eccl. ad ann. 324.*

(5) s. IX.

(6) *in Epitaphio Fabiolae ad Oceanum fol. 90, edit. Froben.*

(7) *de vit. Pontif. p. 25.*

(8) *Tom. VI. p. 608.*

(9) *in epist. ad Lactant. de mort. persecut. Vid. TENTZEL colloqu. mensis. anni 1695, p. 101.*

(10) *in vita Liberii p. 20.*

(11) *in gratiarum act. ad Gratianum Imperatorem.*

(12) *L. 26. C. de Episc. & Cler.*

§. VI.

Ex iam dictis de basilicarum Christianarum nominis ratione satis constare potest. Hoc nomen scilicet sacris Christianorum aedibus fuit inditum, cum non solum quaedam basilicae veteres Christianis coetibus fuerint relictae, sed & nova oratoria ad instar basilicarum veterum exstructae. Hinc &, ad differentiam basilicarum, negotiis profanis destinatarum, saepius a Patribus (1) basilicae ecclesiae adpellantur, qua adpellatione & nos, differentiae ergo, subinde utimur. Caeterum adprobant hanc derivationis rationem PERAVLT (2), L. C. STVRM, (3), VOSSIVS (4), & primo intuitu quoque DN. REINHARDVS (5), qui tamen in eo (si recte ipsum intelligo) a vero paulum alienus, quod basilicas Christianorum instar regiarum domuum, seu palatiorum & residentiarum, exstructas fuisse existimet, horum aedificiorum enim structuram cum basilicis ecclesiae nihil plane commune habere potuisse, per se constat; & regias seu principum residentias cum basilicis veterum Romanorum non esse confundendas, supra (6) adstruximus. Alii alia sentiunt.

Ita



Ita communis ferme hucusque fuit doctorum sententia, basilicas ecclesiae hoc nomen accepisse, quod in honorem Regis regum essent exstructae & consecratae. Primam sine dubio haec opinio debet originem ISIDORO, (7) ita scribenti: *Diuina templa basilicae adpellantur, quia ibi regum omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur.* Verum parum fidei ISIDORO tribui potest, quem ob antiquitatum ignorantiam, ingruentemque iam suo tempore barbariem, saepius lapsum esse, plures (8) iam obseruarunt. Interim secuti sunt hanc sententiam, praeter *Glossam iur. can.* (9), AMALARIVS FORTVNATVS, WALAFRID-STRABVS, DVRANTIVS, aliique. Et ex recentioribus huius sententiae patronis, saltim COQVEVM (10), LINCKIVM (11), CANGIVM (12) & TITIVM (13) nominasse sufficiat. Sane haec deriuationis ratio magis lusum in voce, quam veram originationem sapere videtur. Denique DAVILLER (14) autumat, basilicas adpellatas fuisse, quod ab ipsis regibus seu Imperatoribus fuissent fundatae. Sed non omnes basilicae ecclesiae ab ipsis Imperatoribus sunt exstructae, bene tamen ex eorum permisso & autoritate. Ita ipse Constantinus M. curam ecclesiarum reparandarum, & nouarum exstruendarum, Episcopis reliquit (15). Vt taceam ingentem ecclesiarum, a priuatis, sequentibus temporibus, exstructarum numerum, quae nihilominus basilicarum adpellatione omni tempore fuerunt insignitae. Et haec ferè reponi quoque possent MARBACHIO (16) existimanti, basilicas dictas fuisse ecclesias, ad quas princeps, diuini officii causa, venire consueuerit.

(i) HIE.



- (1) HIERONIMO in *Nepotiano*. AMBROSIO Ep. 28.  
 (2) *Vitruue l. saep. alt.*  
 (3) *Vorstellung der gantzen Ciuil-Bau-Kunst p. 13. n. 131.*  
 (4) *Etymol. Lingu. lat. Voce Basilica.*  
 (5) *Diff. de potest. ciuili in templa c. I, Sect. III. s. V.*  
 (6) *Sect. I. s. III.*  
 (7) *L. XV. Etymol. c. 4.*  
 (8) *bid. MORHOF. Polyhist. T. I. L. IV. c. IX. s. 2.*  
 (9) *in extraug. commun. de poenis.*  
 (10) *ad AVGVSTIN. de ciuit. Dei L. I. c. 1.*  
 (11) *de iur. templ. c. 1.*  
 (12) *Glossar. med. & infimae Latin. Voce Basilica T. I. p. 501.*  
 (13) *Probe des Geisfl. Rechts L. II, c. 1. s. 8.*  
 (14) *Dictionaire d'Architecture, voce Basilique.*  
 (15) *apud EVSEBIVM in vit. Const. M. L. II. c. 46. & THEODORET. L. I. c. 15.*  
 (16) *Diff. de subsidiaria Eccles. reparatione, post. 22.*

§. VII.

Vix tamen est, vt statui possit, omnes aedes sacras basilicas fuisse adpellatas. Illorum quidem opinioni accedere non possum, qui differentiam in eo ponunt, quod *Ecclesiam* adpellauerint aedem sacram consecratam; *Basilicam* autem non consecratam (1). Hoc enim certum, statim seculo IV. consecrationem ecclesiarum adeo inuauisse, vt mox eam nunquam omittere coeperint, obseruante BOEHMERO (2); & nihilominus basilicarum adpellatio continuo fuit retenta. Suboluit huius differentiae falsitas quoque CANGIO (3). SIGONIVS (4) existimat, templa Christianorum maiora *basilicas* fuisse dicta, minora autem *titulos* & *parochias*: vbi tamen putarem, ipsas quoque ecclesias parochiales nonnunquam, praesertim quum maioris ac splendidioris structurae fuissent, basilicas fuisse adpellatas, quod ex ipso iure Canonico

D

(5)



(5) luculenter patet. SIGONIVS porro notat, basilicas partim fuisse Deo consecratas, & *Dominica* seu *ra noviana* dictas: partim martyribus dicatas, *Martyriorumque* nomine fuisse insignitas. Vbi tamen iterum notes velim, seculo III. omnia Christianorum oratoria Dominica fuisse nuncupata, prout supra (6) adstruxi; sequentibus autem temporibus ecclesiis potissimum cathedralibus hoc nomen fuisse tributum, vel quod sub domini adpellatione Episcopum intelligerent, vel ab ipsa domo Episcopi, cui adiacebant. Vnde & Germanorum *Dohm-Kirche* (7). Nec placet opinio MOLANI (8) existimantis, *Dohm-Kirche* dici quasi *Bisdohm-Kirche*, prima syllaba abiecta, accelerandae pronuntiationis ergo. Basilicae autem martyribus dicatae, vt iam monitum, vocabantur Martyria. Ita ANASTAS. BIBL. (9) martyrii Eufemiae meminit. Quamuis & ipsam basilicam, in monte Caluario, a Constantino in ipsius Christi honorem exstructam, martyrium magnum vocatam esse, autor sit SOZOMENVS (10). Quam basilicam nouam istam Hierosolymam esse, quam sacra oracula passim depraedicant, IOHANNES MORINVS (11), coniectura fati infelici, adstruere non dubitat. Porro dictae sunt basilicae martyrum (12), it. Concilia s. Conciliabula martyrum (13), & memoriae Martyrum. Ita AVGVSTINVS (14): *Sed hoc videtur dolere* (scil. ille Aegyptius), *quod memoriae martyrum nostrorum templis eorum delubrisque succederent* &c. Caeterum notum est, vocem Ecclesiae, alias de ipso fidelium coetum praedicari solitam, seculo IV. ipsis locis & aedificiis, vbi fideles congregantur, impostam esse. Ita enim AVGVSTINVS (15): *Si-*



cut adpellamus ecclesiam basilicam, qua continetur populus, qui vere adpellatur ecclesia, ut nomine ecclesiae i. e. populi, qui continetur, significemus locum, qui continet. Non tamen ab ipsis iam Apostolis vox ecclesiae hoc in sensu usurpata, uti vult CANGIVS (16). Imo GREGOR. TVRONENSEM Ecclesiae nomine ecclesiam maiorem, seu, ut inquit, seniorem cuiusque ciuitatis denotasse, caeteras autem ecclesias basilicas adpellasse, obseruat HADRIAN. VALESIVS (17).

- (1) *Vt vult PANORMITANVS ad c. 1. X. de relig. dom. Et ad rubr. Idē consecrat. Eccles. vel altar. TITIVS in der Probe des Geistl. Rechts, alii.*
- (2) *Iur. Eccl. prot. L. III. Tit. XL. §. XII.*
- (3) *Glossar. T. I. p. 501. Voce Basilica.*
- (4) *in not. ad Sulpit. Sever. L. II. c. 49. Et in Histor. de Occidental. Imp. ad ann. 327.*
- (5) *c. 6. X. de Eccl. aedif. Et ex variis Canonibus Distinctionis I. de consecrat. Can. omnes basilicae qu. 7. caus. 16.*
- (6) *Sec. II. §. III.*
- (7) *vid. TITIVS in der Probe des Geistl. Rechts L. II. c. I. §. 8. Illustr. Dn. BOEHMERI Schilterus illustr. L. II. Tit. VI. §. 7.*
- (8) *De Canonic. L. III. c. 3.*
- (9) *de Vit. Pontif. in Vita S. Leonis p. 27.*
- (10) *L. II. c. 27.*
- (11) *dans l'histoire de la deliurance de l'Eglise par Constantin. L. VII. p. 61.*
- (12) *SYLPIT. SEVER. hist. Eccl. L. II. c. 54. p. 386. edit. Hornii.*
- (13) *HIERONTMVVS in Nepotiano. DV FRESNE Glossar. T. II. p. 471.*
- (14) *de Civit. Dei L. VIII. c. 26.*
- (15) *Epist. 157.*
- (16) *Glossar. Voce Ecclesia.*
- (17) *Discepi. de basilicis, quas primi Francorum reges condiderunt c. 1. p. 4.*

§. VIII.

Templorum quoque nomen, quod prioribus tribus seculis adeo execrabantur Christiani, hoc seculo IV. paulatim apud Christianos audiri coepit. Cuius rei ratio



ponenda est, partim in eo, quod simplex dedicatio, quae seculo tertio in usu erat, hoc seculo in veram & solennem consecrationem versa fuerit, id quod egregie demonstratum dedere Dn. BOEHMERVS (1) & BLONDELVS (2). Partim quod hoc & sequentibus seculis plura paganorum templa vel integra, vel diruta, Christiano Clero tradita, & in ecclesias commutata fuerint. Quod iam a Constantino M. factum esse, ANASTAS. BIBL. (3) memorat, inquit: *Iste primam legem scripsit, idolorum templa his tradi, quae Christo sunt deputata.* Huncque CEDRENVVS (4) iisdem fere verbis secutus est, sed uterque dubia fide. Hoc magis constat, iam circa annum 331. & 333. Constantinum iussisse, ut templa gentilium vel plane euerterentur, ut vult HIERONYMVS, vel saltem occluderentur, THEODORETO teste, cui etiam ad stipulari videtur *l. 1. C. de Paganis.* Deinde templa gentilium ab Imperatoribus Honorio & Theodosio ad usum publicum fuere vindicata (5): imo, non raro priuatis vendita (6). Denique ab Imperatoribus fuit cautum (7), ut templa gentilium, collocatione venerandae christianae religionis signi, expiarentur, ut, praecedente hac expiatione, eo facilius in ecclesias mutari possent, quae coniectura est Dni BOEHMERI (8). Tales commutationes etiam re vera factas esse, scriptores testantur. Ita GODEAV (9) (forte ex PROSPERO) narrat: *Arcadius ordonna la demolition des temples, qui étoient à la campagne: Aurele, Eueque de Carthage, ayant fait nettoyer celui, qui étoit dedié à Iunon celeste, sans autre addition le consacra au vrai Dieu.* Et ANASTAS. BIBL. (10) de Bonifacio IV. ait: *Eodem tempore petiit a*  
Pho-



*Phocate principe templum, quod adpellatur Pantheon: in quo fecit ecclesiam sanctae Mariae semper virginis, & omnium martyrum.* Et quid multis? haud exiguus templorum in ecclesias verforum numerus, qui adhuc Romae, testantibus omnibus itinerariis, reperitur, de asserti huius veritate abunde loquitur. Hoc denique non praetermittendum, in corpore iuris rarius vocabulum templi occurrere, & simpliciter positum, de templis paganorum regulariter intelligendum esse (11). Occurrit tamen constitutio (12), in qua ecclesiae Christianorum summa Dei templa adpellantur.

(1) *Iur. Eccl. Prot. L. III. Tit. XL. §. XII. sequ.*

(2) *in Apologia pro sentent. Hieron. de Episc. & Presbyt. Sect. III. p. 269.*

(3) *Hist. Eccl. p. 26.*

(4) *T. I. p. 272. (edit. reg.)*

(5) *l. 5. C. de Paganis.*

(6) *l. 4. C. de diuers. praed. Verb.*

(7) *l. 5. C. Theod. de Paganis.*

(8) *L. V. Tit. VI. §. V. sequ.*

(9) *Histoire de l'Eglise T. I.*

(10) *in Vita Bonifacii IV.*

(11) *§e l. 4. C. de diuers. praed. Verb. l. 2. C. ne rei dominicae.*

(12) *l. 3. C. de his, qui ad Eccles. confugiunt.*

§. IX.

Sed, vt e diuerticulo in viam redeamus, basilicarum ecclesiae structuram cum basilicis Romanorum perquam conuenisse, illi non potest non esse perspectum, qui ea, quae supra (1) explicauimus, hic conferre voluerit. Exstruebantur enim basilicae ecclesiae forma quadrato oblonga, ad orientem conuersa, nonnunquam etiam ad instar crucis, qua de re infra (2) dicitur copiosius. Antae fores communiter erat porticus: Fores intrantem ite-



rum porticus, plane vt in basilicis Romanorum, tegebat, quae Narthex adpellabatur. Post Gremium seu Nauiſ eccleſiae ſequebatur, medio basilicarum veterum ſpatio per omnia ſimilis: cuius latera iterum porticus, vt in illis, ambibant, quae hic Abſidarum nomine nonnunquam veniunt. Chorus denique, in extrema basilicae parte, Chalcedici, eique ſubiectae porticus, quae in priſcis baſilicis erant, vt ita loquar, occupabat locum. Quae omnia, vt &, quae circa has basilicarum eccleſiae partes occurrunt, iura ritusque, ex ſequentibus magis pateſcent. Caeterum basilicas Graecorum hodiernorum adhuc in quatuor partes principales, ſcilicet porticum ante fores, veſtibulum ſeu narthecem, nauim & chorum, ſeu locum altaris, diſpeſci, paſſim itineraria teſtantur (3).

(1) *ſeſt.* I. ſ. VIII.

(2) *ſeſt.* II. ſ. XI.

(3) *ſid.* PAUL LVCAS *ſoyage dans la Grece &c.* T. I. c. 29. p. 209.

§. X.

Basilicas eccleſiae, quoad ſitum, ab occidente ad orientem fuiſſe directas, ex infinitis ſcriptorum Eccleſiaſticorum locis, & imprimis quoque ex ipſo EVSEBIO (1) adparet. Vnde vero hic mos duxerit originem, non aequè conſtat. Qui ad conſtitutiones Apoſtolorum hac in re prouocant, fallunt & falluntur, cum has conſtitutiones foetum ſpurium ſeculi Vti vel Viti eſſe, iam inter omnes conſtet. Nec plus fidei mereri videntur, qui in recordationem loci paradifiaci, vel ad diſtinctionem templi Iudaeorum id introductum autumant. Magis placet eorum opinio, qui ex antiquo ritu Chriſtianorum, ad orientis



tis plagam, cum preces funderent, ora vertentium, hanc structuræ rationem deducunt. Antiquum esse hunc precantium ritum, dissimulari non potest. Ita enim TERTULLIANVS (2): *Alti plane humanius & verosimilius soleunt credere Deum nostrum.* Post pauca: *Denique inde suspicio, quod innotuerit, nos ad orientis plagam precari.* Num autem traditione Apostolorum hic mos nitatur, prout adfruere conantur BASILIUS (3), ATHANAS. IVN. (4), IOH. DAMASCENVS (5), imprimis quoque autor *quaestionum & responsonum*, quae IUSTINO MARTYRI falso tribuuntur; id quidem grauibus adhuc inuolutum est dubiis, obseruante DESIDERIO HERALDO (6). Quae autem genuina sit huius moris introducti ratio, non vna est Scriptorum Ecclesiasticorum & Patrum sententia. ATHANAS. IVN. (7) existimat, diuersimode respondendum esse Iudaeis, gentilibus & fidelibus: *Iudaeis scil. quod Dauid dixerit: adoremus ad locum, ubi steterunt pedes tui Domine, & Zacharias: & stabunt pedes Domini in monte oliuarum contra Hierusalem (scil. ad orientem).* Graecis responderi posse: *quia Deus sit lux vera, hinc respiciendo ad lucem creatam non illam ipsam, sed factorem eius, adorarent Christiani.* Fideles autem *discere debere, quod hac de causa Apostoli fecerint Christianorum Ecclesias intendere versus orientem, vt ad paradysum respicientes, vnde cecidimus, scilicet ad veterem patriam, petamus Dominum reducere nos illuc (vt ipse loquitur).* Mihi vero praecipuis vero videtur simile, hunc morem a Christianis, ex libera voluntate, in honorem Orientis ex alto, seu ipsius Christi, fuisse receptum. Ita enim TERTULLIANVS (8): *Amat (scil. columbae domus*

mus



mus seu ecclesia) figuram spiritus sancti: Orientem, Christi figuram. Prae caeteris quoque sententiis huic inprimis patrocinari videtur IOH. DAMASCENVS (9), inquit: *Non temere, nec sine causa, ad orientem conuersi adoramus.* Post pauca: *Quoniam igitur Deus spirituale lumen est, & Christus sol iustitiae & oriens in sacris literis adpellatur, idcirco pars illa, qua sol oritur, ipsi adorationis ergo assignanda est.* Addit in sequentibus: *Quin imo Dominus, cum in cruce penderet, verso ad occasum vultu erat, eaque de causa ita adoramus, ut in eum oculos intendamus.* Rursus, cum in coelum reciperetur, versus orientem ferebatur, sicque a discipulis adoratus fuit, atque ita venturus est, sicut cum in coelum euntem conspexerunt. *Quemadmodum ipse quoque Dominus dixit: Sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque ad occidentem, ita erit aduentus filii hominis.* Quocirca, quoniam eius aduentum expectamus, ad orientem adoramus. Collineare huc quoque videtur ORIGENES (10), mentem suam hac ratione explicans: *Sic namque & nunc nos omnes credentes, sanctis similiter credentibus concordantes, ad orientem adoramus Dominum Deum nostrum, qui, propter nostram salutem & redemptionem, super occasum sane descendit, utpote in passione & morte occisus; ad orientem vero ascendit, utpote a mortuis post passionem resurgens, & in coelum post resurrectionem ad orientem ascendens.* Sed in his rebus cuius genio suo abundare permittimus. Caeterum ipsas quoque basilicas Romanorum orientem versus spectasse, supra (11) obseruauimus. Imo ipsa templa gentilium hunc habuisse situm, patet ex VITRUVIO (12) & TERTVLL. (13). Vsum hodiernum quod attinet: cum leges ecclesiasticae

cae



cae nihil hac in parte praescribant, merito haec libero aedificantium relinquuntur arbitrio. Et recte Protestantes taxat STVRMIVS (14), quod tanta pertinacia ac superstitione huic mori inhaereant, cum tamen Romano Catholici dudum ab eo recefferint, quod pluribus exemplis ecclesiarum, Romae ac Parisiis exstructarum, ipse probavit egregie. Et idem quoque de templis Italicis obseruauit MISSON (15). Nec apud Christianos vnquam fuit adeo supersticiosa orientis veneratio. Ita MICH. LEQVIEN (16) obseruat, Leonem M. non sine stomacho notasse superstitionem eorum, qui in basilica B. Petri, superatis gradibus, quibus ad suggestum arae superioris ascenditur, conuerso corpore ad nascentem solem se reflexerunt, atque hos fuisse Manichaeos, ex aliis eius sermonibus conici posse. Porro HONORIVM AVGVSTODVNENSEM, seculi XIII. scriptorem (17) variis exemplis ostendisse (trahit idem LEQVIEN), illos non errasse, qui in templis vel nouiter Deo constructis, vel ab idolorum squalore mundatis, propter aliquam locorum opportunitatem, in diuersas plagas altaria constituisent, quoniam non sit locus, vbi non Deus.

(1) *Hist. Eccl. L. X. c. 4. & in vita Constant. L. III. c. 24. & passim.*

(2) *in Apologet. c. 16. (edit. Froben. p. 709.)*

(3) *Can. 5. Dist. 11. quem locum integrum adduxit & explicauit Dr. BOEHMERVS Iur. Eccl. prot. L. I. T. IV. s. 4. vbi simul dignum locum indicimus, de eiusmodi traditionibus Apostolorum reperies*

(4) *in Respons. ad quaest. 37. Antioch. cur precantes ad orientem se vertant?*

(5) *de fide orthodoxa, L. IV. c. 12. in edit. Mich. Lequien Operum Damasceni T. I. p. 266.*

(6) *ad TERTVLL. apologet. c. 16.*

(7) *l. all.*



- (8) *adversus Valentinianos* p. 448, edit. Froben.  
 (9) *l. all. T. I.* p. 266.  
 (10) *in libr. Iobi* p. 426, edit. Operum Frobenian.  
 (11) *Secl. I. s. VIII.*  
 (12) *L. IV. c. 5.*  
 (13) *Apologet. c. 16.*  
 (14) *in der vollstaendigen Anweisung alle Arthem von Kirchen wohl anzu-  
 geben.*  
 (15) *Itinerar. Ep. 20, p. 406.*  
 (16) *in not. ad DAMASCEN. l. 2h.*  
 (17) *in gemma animae, de antiquis ritibus missae.*

§. XI.

Formam basilicarum Ecclesiae communiter fuisse quadrato oblongam, supra (1) adstruximus, idque non solum ex variis scriptorum, imprimis EUSEBII (2) & PROCOPII (3) locis liquido adparet, sed & basilicae quaedam antiquissimae, quae Romae adhuc conspiciuntur, quaeque acuo Constantini, vel proxime sequenti, tribuuntur, id abunde testantur. Nonnunquam tamen ad instar crucis basilicas Ecclesiae fuisse exstructas, dissimulari non potest, id quod in memoriam sine dubio Christi crucifixi factum, vel etiam in honorem ipsius signi crucis, a Christianis quippe priorum seculorum, ex traditione, ut volunt (4), Apostolorum in maximo semper habiti pretio. Ita enim CHRYSOST. (5): *Quapropter, inquit, & in penetrabilibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque ac mente, magno studio crucem inferamus, id enim salutis nostrae, id communis libertatis, id mansuetudinis atque humilitatis Domini signum est.* Hinc & gentiles nonnulli credere, a Christianis crucem pro Deo coli & adorari, quam ethnicorum opinionem TERTULLIANVS (6), ARNOBIVS, (7) MINVTIVS FELIX (8) refellere laborarunt. Quamuis



uis autem SVRIVS, teste CASALIO (9), oratorii, tempore iam tum Apostolorum, ad instar Crucis exstructi mentionem faciat, sublesta tamen haec sunt fidei. Tempore autem Constantini M. hanc structurae rationem iam aliquando fuisse obseruatam, id quidem minoribus inuolutum est dubiis. Ita enim PAVLINVS, Tyriorum episcopus, apud EVSEBIVM (10): *Occos amplissimos utrinque summa cum peritia fabricauit, qui sibi inuicem ad latera ipsius basilicae coniungantur, portisque, quibus in medium templum intratur, connexi sunt &c.* Hanc tamen basilicarum formam non adeo frequentem tunc fuisse, quodammodo ex eo colligere licet, quod PROCOPIVS (11) templum omnium Apostolorum, a IVSTINIANO in formam crucis exstructum, tanta adcuracione atque sollicitudine describat. Ita enim ille: *Porro consilium hac ratione explicauit: rectae lineae designatae sunt duae, quae se medias inuicem seceant, commissae in formam crucis, altera ab occasu ad ortum directae, altera ad meridiem transuersa a septentrione.* Post pauca: *Hinc inde transcurentia transversa spatii latera inter se aequalia sunt, spatii vero in directum porrecti pars illa, quae vergit ad occidentem, alteram superat, quantum satis est, ut figuram crucis efficiat.* Caeterum ipsas quoque basilicas Romanorum nonnunquam ad instar crucis fuisse exstructas, a verosimilitudinis specie non plane abhorret. Cum enim Chalcedica, cum suis tribunalibus, regulariter ad duo basilicae extrema ponerentur (12); basilica Iulia autem haberet quatuor tribunalia (13), non inprobabile est, ea ad quatuor basilicae extrema constituta, & ita ipsam basilicam in crucis formam exstructam fuisse. Ho-



die Romano Catholici basilicas quidem suas maiores ad instar crucis non raro exstruere solent, ex antiqua tamen magis consuetudine, quam vlla lege id iubente. Quod autem Protestantes quoque basilicas suas saepius adhuc hac forma exstruant, id variis ex rationibus improbat STURMIVS (14.) Sane nulla lege ad hanc crucis formam sunt adstricti.

- (1) Sect. II. s. IX.
- (2) Vit. Const. M. L. III.
- (3) de aedificiis IVSTINIANI.
- (4) TERTVLL. de Corona militis. BASILIVS & DAMASCENVS.
- (5) Homilia LV. in cap. XVI. Matthaei.
- (6) Apologet. c. 16.
- (7) aduersus Gentes L. VIII.
- (8) in OCTAVIO p. 284. edit. VZELII.
- (9) de sacr. Christi. vitibus.
- (10) L. V. c. 4. p. 381. edit. VALESII.
- (11) de aedific. IVSTINIANI Libr. I.
- (12) Vid. supr. sect. I. s. VIII.
- (13) Sect. I. s. X.
- (14) l. all. der Vollstaendigen Anweisung.

§. XII.

Quod nunc in specie partes basilicarum, earumque iura attinet: ante fores basilicarum ecclesiae veteris oculis sese offerunt porticus illae, columnis suffultae, & a PROCOPIO (1) *Propilea* vocatae. Latinis vestibuli magni nomine veniebant; sed & *atrium* & *Paradisum*, Romana consuetudine, eas vocabant, teste CANGIO (2). Locus hic erat in Ecclesia primaeva poenitentibus primi gradus, qui stantes lamentantesque, seu flentes, adpellabantur, quasi proprius. Ita enim BASILIVS (3): *Debet, inquit, quatuor annis deslere, stans extra fores oratorii, et fideles ingredientibus orare, ut pro eo precentur, suam iniquitatem*

tem



tem pronuncians. Hic ad fratrum intrantium genua deuoluebantur poenitentes. Hinc TERTVLLIANVS (4): Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras (5). Porro in atrio sepeliebantur corpora fidelium, quod in ipsa ecclesia non permittebatur, obseruante DV FRESNE (6), ex concilio Nannetensi can. 6. *Vt in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut porticu, aut in exedra ecclesiae.* Denique in hoc vestibulo magno fons quoque reperiebatur, *cantharus* seu *pbiala* dictus, cuius aqua fideles ad lauanda ora manusque utebantur, priusquam sacra transgredereentur limina, obseruante SLEVOGTIO (7) & CANGIO (8). Quod institutum aquae lustralis vsui occasionem praebuisse videtur, de qua mox (9) dicendum. Hodie raro, & nonnisi in splendidissimis basilicis, porticus ante fores exstruuntur. Vtus vero earum singularis, intuitu poenitentium, plane exoleuit. Nec ratione sepulchrorum hic occurrunt singularia, cum hodie in ipsis ecclesiis sepelire liceat.

(1) de aedific. Iustiniani L. I. c. 2.

(2) Glossar. T. I. voce Atrium.

(3) in epist. ad Amphilob. can. 56.

(4) de poenitentia c. 10.

(5) Vid. NATALIS ALEXANDRI *diff. Hist. Eccl. Secul. III. diff. 8. art. 1.* p. 665. Tomi III. GODEAV *Hist. de l'eglise T. I. p. 270.* Vbi & quatuor gradus poenitentiae, apud Christianos veteres, scil. *stetum*, *auditionem*, *substrationem* & *consistentiam* susus explicatos reperies.

(6) Glossar. l. all.

(7) in der Einleitung von der innerlichen und aeußerlichen Gestalt derer ersten Kirchen, §. 2. p. 5.

(8) Glossar. voce Cantharus.

(9) s. sequent.

§. XIII.

Sequitur Narthex, seu porticus ianuae basilicae inter-



terius adiacens. De nomine ita NATAL. ALEXANDER (1): *Locus ille Graecis λέγεται, i. e. serula, propter figuram, quae longitudine multis partibus latitudinem excedebat.* Haulit haec forsitan ex PROCOPIO, qui (2) de ecclesiis Sergii & Bachi inquit: *Vnam habent in vestibulo porticum, nomen ex narthece seu serula idcirco nactam, quod longissime porrigatur.* Licet videatur hoc narthecis nomen de harum saltem ecclesiarum communi porticu a PROCOPIO praedicatum, quoniam scilicet hae ecclesiae a latere cohaerebant, ut ipse refert, & ita haec porticus in insigne longitudinem porrigebatur. Quidquid sit, hic locus, qui & πρῶτος nuncupatur, sex hominum generibus communis erat, scilicet ethnicis, Iudaeis, haereticis, schismaticis, catechumenis primi gradus & poenitentibus secundi gradus, seu audientibus, obseruante NATAL. ALEXANDRO (3), quibus addit LEO ALLATIVS (4) obsessos, in hyemantes & arreptitios iterum distinctos, qui & obseruat, proximos nauī fuisse poenitentes, post hos stetit obsessos, & extremum a nauī locum in narthece catechumenos occupasse. Baptisterium quoque nonnunquam in narthece fuisse positum, exemplo Basilicae sanctae Sophiae Constantinopolitanae probat SLEVOGTIVS (5). Quod & hodie nonnunquam in basilicis Romano Catholicorum, si forte eiusmodi narthex in iis adhuc reperitur, fieri adfolet: Vbi & communiter aqua lustralis, seu benedicta, exponitur, cum priscis temporibus cantharus, aqua communi repletus, qua basilicam intrantes lauari consueuerant, plerumque in atrio reperiretur, ut supra (6) fuit obseruatum. Caeterum ipsos quoque gentiles aquam lustralem



lustralem, penes portam templi, in aquiminario seu amula exposuisse, obseruauit MISSION (7). Eiusque aquae lustralis gentilium mentio est apud OVIDIVM (8). Apud Protestantes & nomen, & vsus huius narthecis ferè ignoratur.

(1) Diff. Hist. Eccl. T. III. p. 666.

(2) de aedific. Iustin. L. I. c. 4.

(3) l. alleg.

(4) de templ. Graecor. p. 56. & 66. vid. SLEVOGT, Einleitung von der Gestalt derer ersten Kirchen. s. III. p. 7.

(5) Som Rechi der Altaere c. II. p. 55.

(6) Sect. II. s. XII.

(7) Itinerar. Ital. p. 192.

(8) L. III. de Ponto, Eleg. 2. vers. 72.

#### §. XIV.

Subiungimus statim porticus longissimas, quae basilicarum latera ambibant, & hac quoque in parte basilicis Romanorum eas similes reddebant. *Absidas* vel *Apsides* vocatas fuisse has porticus, non improbabile; Vnde forte & a Germanis *Abseiten* hodie vocantur (gall. bas cotés). Vtut DV FRESNE (1) adstruere non dubitet, absidam vocatam esse partem aedis sacrae interiorem, in qua altare collocare consueuerint, sic adpellatam, quod sit quodammodo separata a templo, & proprio fornice tecta & conuoluta. Haec enim nominis ratio ferè commodius ad porticus nostras adplicari potest. Haec absidae hodie apud Catholicos plerumque maximam partem altaribus & Capellis occupantur, quibus Capellis occasionem praebuisse videntur ista veterum cubacula, vt vocabant, quibus exstruendis absidae mature fuerunt destinatae, prout discimus ex PAVLINO, Episcopo Nola-



Nolano (2) (qui ao. 431. obiit), de templo S. Felicis Nolano inquitente: *Cubicula intra porticus quaterna, longis basilicae lateribus inserta, secretis orantium, vel in lege Dei meditantium, praeterea memoriis religiosorum ac familiarium accommodatos, ad pacis aeternae requiem, locos praebent. referente CANGIO (3) Altaribus tamen eiusmodi cubicula instructa non erant, sicut nostri aevi capellae, cum DAL-LAEYS (4) iam probatum dederit, ante seculum octauum non nisi vnicum altare in quavis ecclesia fuisse reperimentum. Licet contrarium adstruere nitatur CASALIUS (5) inquitens. *Nec indecens visum, in eadem ecclesia plurima etiam construi altaria (ut obiciunt nouatores), nam cum ea essent sepulchra martyrum, ubicunque esset martyr conditus, illic altare erigi consueuerat. Et in vna ecclesia de tredecim erectis altaribus refert Gregorius M. Apud Protestantes absidae, vbi tales in ecclesiis reperiuntur, subfelliis communiter non minus, quam reliqua naui ecclesiae, refferatae sunt. Superius autem ambones isti subfelliis viro- rum inferuientes (die Empor-Kirchen) absidas occupant.**

(1) Glossar. T. I. p. 26. Voc. Absida.

(2) Epist. 12.

(3) Glossar. T. I. p. 1285. Voc. Cubiculum.

(4) de cult. relig. Lat. L. 8. c. 30. 31. Vid. SLEVOGT vom Recht der Al-  
tare c. I. p. 50.

(5) de veter. sacr. Christ. ritibus part. III. c. 32. p. 135.

§. XV.

Progredimur ad mediam basilicarum ecclesiae par-  
tem, quae Graecis ναός, latinis *gremium* seu *naui* dicta;  
vel quod longitudine sua naui carinam referat, vel a  
Graeco ναός, quamuis ipsa vox ναός, templum, a voce  
ναός, naui, ortum habere possit, notante CANGIO (1).

Haec-



Haecque naus commune fidelium multitudini praebebat receptaculum. Tria potissimum in hac basilicae parte consideranda veniunt, nimirum: Ambo seu suggestus; Loca fidelium, eorumque subsellia; & denique, certo respectu, baptisterium. *Ambo* dicitur quasi adscensus, a verbo *ἀναβαίνω*, adscendo, gradus enim habebat versus orientem, quibus adscendebatur, & versus occidentem, quibus descendebatur, obseruante CANGIO (2), ex DURANTI *rationario*. Nec probanda opinio librorum ritualium, qui ambonem ab ambiendo deriuant. Dicitur & *suggestus lectorum* SOZOMENO ac NICEPHORO, & *pulpitum* CYPRIANO (3). Erat autem ambo excelsius quoddam aedificiolum, orbicularis ut plurimum figurae, ad quod gradibus aliquibus adscendebatur, ex quo Epistolam & Euangelium legere, dyptica recitare, hymnos psalmosque canere, & conciones ad populum habere, veteres consueuerant (4). Imo omnia, quae ad populum recitanda, vel ipsi exhibenda erant, in ambone fuisse recitata, quid? quod imperatores nonnunquam in ipsis fuisse coronatos, refert DV FRESNE (5), qui & obseruat in ambonis parte superiori duos fuisse gradus, alterum altiore, in quo Euangelium, alterum inferiorem, in quo epistola legebatur. Peculiares quoque ambones concionibus habendis, & alios Euangelii & Epistolis legendis fuisse destinatos, CASALIVS (6) exemplis vetustissimarum, quae Romae adhuc supersunt, ecclesiarum probare sustinuit. Medium naus basilicae locum occupabat ambo, quod ex SOZOMENO (7) & NICEPHORO (8) luculenter adparet: dum inprimis hic posterior inquit: *Quam ob causam*

F

ille



ille quoque communem se omnibus praebuit, & in lectorum suggestu, in media turba, confidens, uberem doctrinam, quasi communem quandam gratiam omnibus impertiit. Hodie suggestus, quem die Cantzel adpellamus, alterutri navis basilicae lateri communiter adplicatur. In nouiter extructis oratoriis Protestantium vero non raro supra ipsum altare ponitur. Quae autem circa illum hodie occurrunt iura, e. gr. quis suggestum aperire possit: quibusque ille sit aperiendus? & similia, excutere praesentis non est instituti. De his interim adeas, si velis, SLEVOGTIVM (9).

(1) Glossar. Voce Navis.

(2) Glossar. Voce Ambo, vid. & FERRAR. L. III. c. 3. p. 311.

(3) Vid. FERRARIUS de ritu sacrarum Ecclesiae catholicae concionum, L. III. c. 8. p. 327. edit. Parisi. 1664. & c. 9. p. 330.

(4) Ita illum describit NATAL. ALEX. Tom. III. p. 667.

(5) Glossar. l. all. ex THEOPHANE.

(6) de veter. sac. Christ. rit. L. III. c. 34. p. 449.

(7) L. VIII. c. 5.

(8) Hist. Eccl. L. XIII. c. 7. vid. FERRAR. l. all. L. III. c. 8. p. 327.

(9) pecul. tract. vom Recht der Cantzeln.

§. XVI.

Gremium basilicae communem omnium fidelium esse locum, modo adstruximus; quod tamen non ita accipiendum, ac si, posthabita omni ordinis ratione, omnis sexus & ordinis fideles illic congregati fuerint: diuersis potius fidelium ordinibus, diuersis sexibus, diuersa loca quoque statuerat veteris ecclesiae disciplina. Ita NATAL. ALEX. (1) memorat, locum poenitentium tertii gradus, seu substratorum, fuisse inter poenitentes audientes & reliquos fideles positum, & a narthece versus ambonem



nem protensum. Locum autem poenitentium consistentium fuisse ab ambone versus sanctuarium. Paulo aliter SLEVOGT (2), qui, iuxta HEINECCIUM & ALLATIVUM, & prostratos, & consistentes post ambonem, versus sanctuarium, collocat. Proxime ambonem cingebant subsellia monachorum, quippe qui clericis non adnumerabantur, nec adeo in sacrarium admittebantur, observante SLEVOGTIO (3). Sic & ex antiqua disciplina mares a foeminis, imo virgines a nuptis, fuisse separatas docet FERRARIUS (4), qui simul, mares latus navis australe, seu dextrum, quo & lectores in ambone ora vertere consueverint, foeminas autem septentrionale, seu sinistrum latus occupasse, ex AMALARIO & RADVLPHO TVNGRENSI refert. Nonnunquam tamen foeminis porticus superiores, quae *ὑπερῶν, solaria & catechumenia* appellabantur, fuisse adsignatas, patet ex iis, quae notarunt CANGIVS (5) & SLEVOGTIVS. Denique de hoc veterum, mares a foeminis separandi, more nullum remanere potest dubium, cum ille non solum ex vetustissimis, quae Romae, Pisae ac Veronae supersunt, ecclesiis, adhuc adpareat (6); sed & in ecclesiis Graecorum hodiernis foeminae a maribus cancellis separatae, vel in separatis porticibus sint (7). Caeterum fideles nonnunquam, inprimis vbi magnus eorum ad aliquam ecclesiam erat confluxus, stantes sacris interfuisse, communiter autem in subselliis sedisse, iam ab antiquissimis temporibus, idem FERRARIUS (8) euicit copiosius. Hodie in nostris ecclesiis peculiaria poenitentium loca fere cum ipsa veteri disciplina ignorantur: nisi quod, quibusdam



in locis, illis, qui poenitentiam ecclesiasticam agere compelluntur, durante concione, certus locus infra suggestum, vel ante altare adsignetur. Masculi quoque a foeminis hodie, inprimis apud Romano Catholicos, plane non separantur: nisi quod MISSON (9) referat, tempore quadragesimali, in ecclesiis Romae existentibus contabulationes ligneas exstrui, quibus, durante concione, foeminae circumdatae sederent, & ita non modo a viris separarentur, sed & omni illorum conspectui subtraherentur. Protestantibus viros quidem a foeminis communitate separant, non tamen hac in re nimis curiosi ac solliciti sunt. Quod autem subsellia templorum attinet, de illis omnia ferè, quae ad praxin Consistoriorum pertinent, exhauferunt PHILIPPI (10) & SLEVOGTIVS (11).

(1) *Diss. hist. eccl. T. III. p. 667.*

(2) *Einleitung von der Gestalt derer Kirchen S. III. p. 8. 9.*

(3) *l. all. §. IV. p. 12.*

(4) *de ritu sacrar. Eccl. Cathol. conc. L. II. c. 20. p. 239.*

(5) *Glossar. T. I. p. 890. voce Catechumenia.*

(6) *obseruante CIAMPINO de veter. monum. c. 2. Vid. TENTZEL. colloqu. mensr. anni 1691. p. 19.*

(7) *prout de Graecis Venetiis degentibus refert MISSON Ital. Reise p. 295.*

(8) *l. all. L. II. c. 21.*

(9) *Itinerar. Ital. p. 927. iunct. p. 1163.*

(10) *Diss. de subsellis templorum.*

(11) *Vom Recht der Kirch-Stühle.*

### §. XVII.

Baptisterii vocabulum iam Romanis vsitatum fuit, fontemque denotauit. Ita enim PLINIUS (1): *Cella frigidaria, in qua baptisterium amplum & opacum.* Deinde vero hoc nomen solis fontibus sacris fuit tributum, quibus quidem Ecclesia primis temporibus plane destituebatur,



tur, sed modo in fluminibus, modo in thermis & balneis baptismus, qui per immersionem fiebat, peragebatur. Quarto demum seculo prope maiores ecclesias, in loco tamen ab ipsa ecclesia separato, fontes in usum baptismi adornabant, propriisque parietibus cingebant, ac locum hunc baptisterium vocabant. Cuius veteris instituti quaedam adhuc reliquiae supersunt Florentiae, ubi e regione maximi templi baptisterium quoddam separatum reperitur, in quo Florentini omnes baptismum percipiunt, teste CANGIO (2). Hodierna autem baptisteria, quae in ipsis basilicis conspiciuntur, eo ipso tempore, cum adperso, loco immersionis, in Ecclesia occidentali introduceretur, in ipsis basilicis extrui coeperunt (3). Sane quod in Gallia, iam tempore Chlodouaci, baptisteria in ipsis basilicis fuerint reperta, ex GREGORII TVRONENSIS narratione de huius regis baptismate inferre voluit CASALIUS (4). Nec multo post per concilium Ilerdense (5) cautum, ne fons baptismi extra ecclesiam portetur, quae sanctio repetita in *Can. 106. Dist. 4. de consecrat.* Et GREGORIUS M. quoque (6) meminit baptisterii in Ecclesia constructi, teste CASALIO. Ponitur baptisterium communiter in naui basilicae, nonnunquam tamen in pronao, vt supra (7) monitum, imo apud Rom. Catholicos quandoque in capella quadam, in ipsa tamen basilica existente. Tempore Chlodouaci Francorum regis statutum esse, vt baptisteria intra ecclesiam, a sinistra parte ingredientium, constituerentur, ex GREGORIO TVRON. (8) refert CASALIUS, qui simul animaduertit, per Concilium Ilerdense statu-



tum esse, vt baptisteria elaborentur ex lapide duro, non autem fragili seu bibulo, ne aqua penetret, seu vas frangatur. Denique baptisteriis olim Vraniscus imminebat, cui adpensa erat columba argentea, id quod occasionem praeuiffisse fabulae de ampulla Remensi, per columbam coelitus delata, coniectura est CHIFLETII (9) & SCHMIDII (10). Protestantes hodie non raro loco baptisterii patina vtuntur, quam manibus statuae, angelum repraesentantis, imponere solent.

(1) L. V. ep. 6.

(2) Glossar. T. I. p. 469. Voc. baptisterium.

(3) Vid. Dn. BOEHMERI I. Eccl. prot. L. III. T. XLII. §. 24. IEAN MORIN Histoire de la deliurance de l'eglise, p. 369.

(4) de Veter. sacr. Christ. rit. L. II. c. 5. p. 34.

(5) Can. 7. Vid. CASAL. l. all.

(6) L. II. ep. 24.

(7) Sect. II. §. XIII.

(8) de mirac. S. Martini I. II. c. 21.

(9) pecul. Tr. de Ampulla Remensi.

(10) in Histor. Sec. V. fabulis maculata.

§. XVIII.

Denique postrema basilicae pars consideranda venit, Chorus scilicet, dictus a corona, quod presbyteri in modum coronae circum aras starent & psallerent (1). Vocatur alias Sanctuarium (2), sanctum sanctorum & sacerarium (3). Graecis vero βήμα seu 'agartios (4). Sicut eius communiter in basilicae extremo, & quidem orientem versus, fuisse, non solum ex EVSEBIO, PROCOPIO aliisque scriptoribus videre est; sed & ex vetustissimis basilicis, quae Romae alibique adhuc supersunt, cognoscitur. Et hodie quoque hic locus plerumque choro relinquitur. Chorus igitur locus Chalchidici, in praesens basi-



basilicis Romanorum, occupabat; in eo etiam ipsi simili-  
 lis, quod, loco tribunalis, hic posita fuerit cathedra Epi-  
 scopi, quae & ipsa non raro fuit tribunal vocata, teste  
 FERRARIO (5). Interim non negandum, nonnunquam  
 in media basilica sanctuarium fuisse constitutum, prac-  
 fertim in illis basilicis, quae ad instar crucis erant ex-  
 structae. Ita PROCOPIVS de basilica Apostolorum, (de  
 qua supra iam (6) aliqua notata fuere) refert: *In com-  
 missura harum linearum, utriusque ferè medium obrinente,  
 conditum inauguratumque sanctuarium: Sic locum merito ad-  
 pellant, eorum vestigiis interdictum, qui rei diuinæ non ope-  
 rantur.* Et de basilica Tyri a Constantino exstructa, de  
 qua itidem supra (7) quaedam fuere relata, Episcopus  
 apud EVSEBIUM (8) inquit: *Postremo sanctum sanctorum,  
 altare videlicet, in medio constituit, utque haec sacraria mul-  
 titudini inaccessa essent, ea rursus ligneis cancellis muniuit.*  
 Id quod & hodie non raro, imprimis in basilicis Catholi-  
 corum ad instar crucis exstructis, obseruatur. Ita in ba-  
 siliica S. Petri Romana, totius ferè orbis Christiani am-  
 plissima & splendidissima, altare in medio basilicae, &  
 quasi in centro crucis positum est. Occurrit autem in  
 sanctuarium primum altare, celebrationi eucharisticae, &  
 missae sacrificio inserviens: imo & ex altaris gradibus  
 sermones haud raro fuisse habitos, docet FERRARIUS  
 (9). Ea autem quae circa altaris consecrationem, alia-  
 quae, occurrunt iura, excutere iam non vacat; conferri  
 interim meretur, ferè instar omnium, SLEVOGTIVS (10).  
 Deinde cathedra Episcopi, quae & *thronus & tribunal*  
 dicta, cui Episcopus insidens populum salutabat, sermo-  
 nes-



nesque ad illum habebat (11). Vnde forsitan error LIN-  
 KII (12) existimantis, ipsum suggestum in choro fuisse  
 collocatum. Presbyteri quoque in choro, & quidem  
 post altare, in subselliis tamen inferioribus, sedebant.  
 Diaconi autem stantes sacris interfuisse videntur. Ita  
 enim GREGOR. NAZIANZ. (13): *Sublimi quidem throno  
 insidere mihi videbar: utrinque porro, inferioribus tamen sub-  
 selliis, presbyteri, hoc est gregis christiani duces, considebant.  
 At vero diaconi, candidis vestibus ornati, stabant.* Patet &  
 id ipsum ex constitutionibus Apostolorum, si ad eas pro-  
 uocare fas est, dum (14) statuunt: *Sit solium Episcopi in  
 medio positum, ex utroque eius latere sedeant presbyteri & ad-  
 stent Diaconi succincti & sine multa veste.* Et ex concilio  
 Agatheno, ao. 506. habito, ita (15) statuente: *Quoniam  
 non oportet Diaconum sedere praesente presbytero, sed ex iussio-  
 ne presbyteri sedeat.* De caetero laicis ingressum in cho-  
 rum regulariter non patuisse, & hinc cancellis a nau-  
 separatum eum fuisse, non solum ex modo adductis  
 PROCOPII & EVSEBII locis colligere est; sed & Syno-  
 dus Turonens. II. anno 567. habita (16) expresse sanxit:  
*Vt laici secus altare, in quo sacra mysteria celebrantur, inter  
 clericos, tam ad vigiliis, quam ad missas, penitus stare non prae-  
 sumant, sed pars illa, quae cancellis versus altare diuiditur, tan-  
 tum choris psallentium pateat Clericorum.* Addit tamen:  
*ad orandum vero, vel adorandum corpus Domini, prout  
 legendum esse putat ESPENIUS, laicis & foeminis pate-  
 ant sancta sanctorum.* Imperatores etiam hac in parte  
 praerogatiua quadam, prae reliquis laicis gaudebant,  
 horum quippe subsellia in ipso sanctuario, proxime ta-  
 men



men cancellis adiacentia erant, vti patet ex SOZOMENO (17). Postea quoque patronis ecclesiae, aliisque personis honore conspicuis, ingressus in chorum fuit permiffus per Synod. Wigornienfem ao. 1240. habitam (18): *Ne Laici stent in cancellis, dum celebrantur diuina, falua tamen reuerentia patronorum, & sublimium personarum.* Graeci tamen hodierni paulo feuerius adhuc morem hunc feruant, ne fcilicet vlli, quam presbyteris, chorum ingrediendi relinquatur copia, testante LVCA (19), aliisque. Apud Protestantes choro, prae reliquis basilicae partibus, singularis non tribuitur sanctitas: imo in multis oratoriis chorus a reliqua naui plane non differt, vel potius chorus plane non adest; sed omnia, pene vsque ad altare, subfelliis occupantur: Locus tamen altari proximior, intuitu subfelliiorum & sepulturarum, pro honoratione habetur. Singulare est, quod MARBACHIVS (20) refert, in nonnullis locis chori & eius accessoriorum reparacionem ad decimatores; naus ecclesiae refectionem vero ad parochianos pertinere.

- (1) *vid. STRAVCH. Amoen. Iur. can. esl. VIII. c. 8. p. m. 50.*  
 (2) PROCOPI. *de aedif. Iust. L. I.*  
 (3) EVSEB. *L. X. c. 4. p. 381. edit. VALES.*  
 (4) FERRAR. *L. III. c. 5. p. 315.*  
 (5) *L. III. c. 9.*  
 (6) *Sec. II. §. XI.*  
 (7) *l. all.*  
 (8) *L. V. c. 4. p. 381.*  
 (9) *L. III. c. 7. p. 321.*  
 (10) *Com Recht der Altäre.*  
 (11) *vid. FERRAR. L. III. c. 6. p. 318.*  
 (12) *de iur. Templor. c. 5. n. 100.*  
 (13) *in Infomnio de Anastasia Ecclesia. vid. FERRAR. L. III. c. 8. p. 317.*  
 (14) *L. II. c. 57.*

G

(15) *Can.*



- (15) *Can. 67. in Collecti. HARDVINI T. II. p. 1005.*  
 (16) *Can. 4. in Collecti. HARDVINI T. III. p. 358. quam sanctionem & eiusdem ferè verbis, ex Concil. Moguntino refert cap. I. X. de Vita & honest. Cleric. vid. & can. 25. & 29. Dist. XXIII. ex Concil. Laodicensi IVto & Agatheno Can. 66. in Collecti. HARD. T. II. p. 1005.*  
 (17) *L. VII. c. 25. vid. SLEVOGT. Einleit. p. 15. sequ.*  
 (18) *Can. 3. vid. ESPENII las Ecol. vniu. L. II. T. XVII. n. 34. p. 529. seq.*  
 (19) *Voyage dans la Grece &c. T. I. p. 209.*  
 (20) *Diff. de subsidiar. Ecclesiar. reparatione, pos. X.*

§. XIX.

Haec de ipsis basilicis. De reliquis aedificiis, ipsis basilicis ecclesiae olim circumiectis, easque quasi ambientibus, veluti Decanicis, Diaconico magno, Metatorii, Gazophilaciis, Pastophoriis agere velle, a nostro instituto paulo videtur alienius; conferri interim potest SLEVOGTIVS (1). De Exedris, voce, significationis apud scriptores ecclesiasticos quodammodo ambiguae, saltem quaedam subiicere lubet. Iam laudatus SLEVOGT (2) putat, vniuersam aedificiorum, basilicam ambientium, compagem hac voce innui. In alia omnia iuit COQVEVS (3), ipsum sanctuarium ita nuncupari ratus. Si dicendum quod res est, neuter ex asse calculum meretur. Exedram enim vi vocis locum, vbi multae sedes, & quidem fixae deprehenduntur, quales sunt in docentium auditoriis, denotare, hocque significatu a VITRUVIO aliisque vsurpari, adeoque etiam de choro ecclesiarum commode praedicari posse, iam obseruatum est PERAVLITO (4). Sed apud scriptores ecclesiasticos diuersissimus est huius vocis vsus: modo enim, notante CANGIO (5), denotat cathedram, seu thronum, modo cameram secretam, seu locum thesauri, modo locum subcelliarum, modo absidam,



dam, modo aedificia a templo seu palatio separata, & porticibus nonnunquam ipsis iuncta, modo ipsum <sup>Sanctuarium</sup> seu sanctuarium. Sed, haec in transitu.

- (1) Einleit. von der Gestalt derer Kirchen, S. VIII.  
 (2) l. all. s. VII.  
 (3) ad AVGVSTIN. de ciuit. Dei L. XXII. c. VIII. p. 530.  
 (4) ad VITRVV. L. V. c. XI.  
 (5) Glossar. T. I. part. II. p. 312. Voc. Exedra.

§. XX.

Haec sunt, quae in praesentiarum de basilicis, earumque iuribus, exponere licuit. Si non omnia satis apte posita deprehendes, virium imbecillitati ignoscas. Si materiam non satis digne tractatam inuenies, id non defidiae, sed partim temporis, partim subsidiorum penuria tribuas. Sin denique omnia displiceant, minime omnium ea mihi placere persuasus sis. Vale interim lector, meisque qualibuscunque faue conatibus.

T A N T V M.

COROLLARIA.

- I. Introductio formularum, atque negotiorum solemnium a Romanis prudenti consilio facta, nec adeo absurda fuit, uti vulgo credunt.
- II. Disciplinae Mathematicae in iure Romano non prohibentur.
- III. Capitulationem Caesaream optime desiniri posse per conventionem, & duplicem conventionem proprie hic subesse censeo.
- IV. Paucissima dantur exempla obseruantiae Imperialis, verum ius vel obligationem introducentis.
- V. Iuris Romani, in causis publicis, nullus plane est usus legalis.

GE.



GENEROSO  
DN. RESPONDENTI  
DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI  
S. P. D.  
P R A E S E S.

*Q*uam viam in peragrando Iurisprudentiae campo ingressus sis, Generose Dn. de GERSTENBERG, docta cumprimis, quam proprio studio elaborasti, Dissertatio Tua manifestissime prodit. Neque enim eorum vestigiis voluisti insistere, qui fucoso Realistarum nomine sibi placentes, neglectis penitus humanitaris literis, ad legum tractationem accedunt, inque ea ita versantur, ut genuina interpretandi ratione postposita, nihil propemodum pensi habeant, nisi quod in praxi & Caussidicina, ad quam tantum non vnice aspirant, sibi fortean profuturum existimant. Sed cum Tu eo modo pulcherrimam iuris artem non parum deformari, ac iuris iustitiaeque magis ignoracionem, quam scientiam introduci intelligeres, ita Tibi rationes ineundas esse censuisti, ut Philosophiam non minus, quam Historiam cum ciuilem, tum ecclesiasticam, nec non Antiquitatum noticiam iuris studio sociaves, nihilque plane ommitteres eorum, quae ad intimiorem legum cognitionem conferre quippiam posse viderentur. Qua in re uti praestantissimi, nostri ac superioris acui, Icti auctores Tibi ducesque extiterunt: ita certo spero, fore, ut eius Te consilii nullo unquam tempore poeniteat. Interim de conspicuo, quod modo edidisti, doctrinae ac industriae Tuae specimine ab imo Tibi pectore congratulor. Faxit Diuinum Numen, ut vna cum optimo Fratre, quem non sanguinis solum communio, sed & morum similitudo, ac compar ad solidiora contendendi ardor coniunctissimum Tibi reddidit, in exteris etiam, ad quas laudabili instituto propediem discessurus es, Academicis prospera semper valetudine, laetique porro studiorum successu fruaris, & tandem laborum feliciter exantlatorum vberimos atque basilicos fructus consequaris. Vale de caetero, Amice Aestumatissime, meque, Tui studiosissimum, amare non desine. Dab. Erfordiae d. XV. April. A. O. R. M DCC XXXIII.

VS ( o ) SS











ULB Halle  
005 355 664


3











13234  
9

1733, 4

4

DISSERTATIONEM HISTORICO-IVRIDICAM,  
DE  
**BASILICIS**  
EARVMQVE  
**IVRIBVS,**

IN ELECTORALI HAC ACADEMIA,  
RECTORE MAGNifico,  
*PRAENOBILI ET CONSVLTISSIMO*

**DN. TOBIA IAC. REINHARTHO,**  
ICTO, SACRI PALATII CAESAREI COMITE, IVRIDICAE FACVLTATIS ASSES-  
SORE ET COD. PROFESS. PVBL. ORDIN. NEC NON CIVITATIS  
SYNDICO ET CONSULE,

CONSENTIENTE  
MAGNifico ICTORVM ORDINE,  
SVB PRAESIDIO

**DN. HIER. FRIDER. SCHORCHII,**  
I. V. D. FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORIS ADIVNCTI ET PROF. PVBL.  
EXTRAORD. CIVITATIS CONSVLIS, NEC NON MINISTERII  
EVANGELICI ASSESSORIS,

*DIE XV. APRILIS, M DCC XXXIII.*  
IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI,  
PVBLICO SVBIICIET EXAMINI  
AVCTOR

**FRIDER. HENR. DE GERSTENBERG,**  
*Erford.*

*ERFORDIAE, LITERIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.*